



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Memoria Crvcifixi Berythens. 9. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

9.NOV. *Vite Sanctorum.* 615  
charitate satis armatus. Iam clem-  
tiae in subditos illud sit argumentum,  
quod ad tyrannum, quem ob scelera  
templo proscripterat, per maxima iti-  
nera exalceatus contendit, & ad fa-  
cinorum detestationem reum supplex  
in genua Iudex invitavit, quin tunc  
etiam contumacem nihilominus capti-  
vum posteà in libertatem afferuit.  
Quod tamen cives Ambianenses mo-  
nita ejus vel negligerent, vel con-  
temnerent etiam, igneos urbi exer-  
citus imminere vidit, interitum hu-  
jus, ut D. Firminus GODEFRIDO  
vaticinatus est, portendentes, qui  
non multò post reapse delapsis calo-  
fammis est infecutus. Nos, ne cælo  
DEVS ignes, oculis lacrimas rectè  
pluemus. Ex Sur.

MEMORIA CRVCIFIXI BERY-  
THENS. 9.Novembri.

**N**imirum facile CH R I S T O cum  
Carpo hodie credemus, velle illum  
iterato pro nobis mori, si modo vivere  
nos velimus. Berytus civitas est Tyro  
& Sidoni contermina. In hac sub an-  
num DCCLXV. habitare inter spinas  
lilia, hoc est inter Hebraeos Christianos  
vidisses. Et fortè Christianus ædi-  
bus suis Iudeo cessit alioque migravit,  
oblitus secum ferre nobilissimam &  
ab omnibus retro majoribus acceptam  
here-

616 *Vite Sanctorum.* 10. NOV.  
hereditatem CHRISTI imaginem cru-  
ci suffixam , opus ab artifice manu ip-  
sius Nicodeimi commendandum. Spe-  
ctasses in nepotibus suis antiquos Ser-  
vatoris hostes, & non jam odii simula-  
chrum, sed ipsissimum veteris impie-  
tis bellum. Iterū Christus vincula fert,  
& captivus triumphatur, agitur, rapta-  
tur. Iterum sputa volant , alapæ inso-  
nant , flagra crepant , spinæ se armant,  
clavi malleique intonant. Iterum fel &  
felle suo acerbior lingua sævit. Deniq;  
( ô cæli patientiam ! ) iterum pectus  
ferro impio petitur ; atque, ut ne aber-  
rasse existimes , iterum fons geminus  
sanguinis & undæ fluit. Hic omnium  
morborum medicus febres pellere, le-  
pram abstergere , clados in pedes eri-  
gere , ipsis denique sceleris auctoribus  
oculos ita aperire , ut tam cœci nuper  
fidei tunc lumen aspicerent , miraculo  
hoc gratiore, quod urbs tot jam Longi-  
nos , quot paulo antè Iudæos numera-  
ret. Ex actis Nicenæ Syn. II.

S. THEOCTISTA V. 10. Novemb.

R Ectius hoc die Lesbos THEOCTI-  
STAM , quam olim Sappho suam  
laudat. Apage decimam Musam , quz  
Virgo non est. At quam scribimus ,  
THEOCTISTA , inter Virgines sacras  
à primis annis educata virginitatem  
etiam ipsa spirat, gratissimum odorem

illi,